

61. *Tenetur coadjutor reddere rationem gestæ coadjutoriae.* — Hoc ipsum ampliatur ad eum casum, quo coadjutor, sive administrator ejuspiam episcopi, ex legitima causa absentis, vel ex speciali dispensatione apostolica promoti ante legitimam ætatem, duntaxat ad certum tempus deputatus fuit: puta, donec episcopus ille redierit, vel ad legitimam ætatem pervenerit. Nam eo redeunte, aut ætatem debitam attingente, illico cessat officium coadjutoris, seu administratoris interim constituti, arg. c. *De causis*. 4. *de Offic. delegat.* Ita tamen, ut teneatur plenam gestæ coadjutoriae, seu administrationis suæ, rationem dare rectori principali, puta, episcopo redeunti, vel ad legitimam ætatem pervenienti (si sanæ mentis extiterit) ac capitulo ipsius, seu etiam successori, si antea id factum non est, juxta textum expressum in cap. un. fin. h. t. in 6

62. *Coadjutoris perpetui officium quatenus respiciat favorem coadjuti non expirat mortuo coadjuto, sed transit in jus plenum.* — Resp. III. Loquendo tunc de coadjutore perpetuo seu auctoritate apostolica deputato cum futura successione, licet hujusmodi coadjutoria, atque potestas per ipsam concessa, in quantum respicit favorem coadjuti, expiret eo mortuo: neque enim potest ille coadjuvare defunctum. Nihilominus, in quantum ea respicit favorem coadjutoris, hæc per obitum coadjuti non expirat, quin potius transit in jus plenum, seu jus in re respectu beneficii. Ita Fagnanus, c. *Ex parte*, n. 45 et 46. h. t. post Puteum decis. 98. lib. II.

63. *Clausula, Ex nunc prout ex tunc, quid operetur?* — Accedit ratio hujus posterioris partis: quia per apostolicam concessionem coadjutoriae perpetuæ, acquiritur coadjutori in beneficio jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum coadjuti efficitur jus plenum: ita quidem, ut non requiratur pro ejusmodi perpetuo coadjutore nova collatio, sed absque alio ministerio illa gratia coadjutoriae ex primo jure sibi concessa sortiatur effectum. Siquidem in istis coadjutoriis perpetuis Papa sub clausula, « Ex nunc prout ex tunc, » facit collationem; uti post Rotam in Tirasonens. coadjutoriae, 8 novemb. 1599. coram Penia, notat Fagnanus, cit. n. 16. Atqui præfata clausula id operatur, ut unum tempus videatur alteri inesse, futurum scilicet in præsentem; sicque actus in postea factus, censeatur jam a principio factus. Barbosa, in tract. *de Clausulis usufrequent.* claus.

61. n. 1. et 6. ac seqq. citans alios. (ADNOTATIO II.)

TITULUS VII.

De Institutionibus.

1. *Ratio ordinis rubricarum.* — Hactenus dictum est de clericorum obligationibus, ac beneficiis Ecclesiasticis, restat nunc dicere de institutionibus in eisdem, nempe in beneficiis: non enim hic est sermo de institutione hæredum quoad testamenta. Quo præmissis sit:

§ I.

DE DIVISIONE INSTITUTIONIS UT SIC, EJUSQUE REQUISITIS: UBI ET DE EXAMINE INSTITUENDORUM IN BENEFICIIS.

2. *Institutio, seu* Instituire in beneficiis, *dupliciter accipitur: nimirum late, seu pro quocunque provisionis modo. Quomodo sumitur in rubrica hujus tituli.* — Queritur I. Quid, et quotuplex sit institutio? Resp. I. *Institutio, seu* Instituire in beneficiis, dupliciter in jure accipitur: aliquando late, seu pro quocunque provisionis modo; aliquando proprie, seu specialiter. Et quidem institutio late accepta, comprehendit sub se quamlibet provisionem canonicam, seu modum legitime acquirendi beneficium Ecclesiasticum: sive dein ea fiat per electionem rite celebratam, una cum confirmatione ejusdem; sive per postulationem a Papa admissam, sive per nominationem, seu præsentationem factam a patrono cum institutione secuta; sive per collationem liberam beneficii, a superiore valente conferre factam; sive per permutationem unius beneficii cum alio, interveniente auctoritate superioris peractam, etc. Atque hac ratione, seu late ac generaliter, pro quocunque scilicet provisionis modo, sumitur *Institutionis* nomen in rubrica præsentis tituli: uti notat Glossa magisterialis in *Rubric.* h. t. in 6. et Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72. n. 172. cum aliis. Quomodo, seu late, pariter accipitur institutionis nomen in reg. 1. juris in 6. ibi: « Beneficium ecclesiasticum non potest licite absque institutione canonica obti-

neri. » Barbosa, loc. cit. Vallensis, h. t. § 4. n. 3. *Et instituere*, in hoc sensu aliud non est, quam « Jus canonicum in Ecclesia, vel ecclesiastico beneficio tribuere, » ut inquit Glossa in cit. reg. juris in 6.

3. *Et proprie, seu specialiter: et quid sit?* — Alio modo sumitur institutio proprie, seu specialiter: nempe pro ea solummodo concessionem beneficii, quæ per superiorem fit cuipiam ad præviam præsentationem patroni; sicque defini solet, dicendo: « Institutio, est concessio beneficii ad præsentationem patroni facta. » Glossa in *Rubric.* h. t. in 6; Engel, h. t. n. 1. Et hoc modo sumpta institutio, est certa species provisionum de beneficio ecclesiastico.

4. *Hæc differt a collatione, et præsentatione: et qualiter?* — Porro institutio proprie, seu specialiter accepta, differt a collatione, et præsentatione; juxta textum expressum in c. *Cum in illis* 16. § *Cum autem de Præbend.* in 6. ibi: « Cum autem inter collationem, præsentationem, et institutionem differentia magna esse noscatur, » etc. Siquidem institutio est ipsius personæ, quæ instituitur: collatio vero est beneficii, quod confertur. Zæsius h. t. n. 1. Deinde collatio proprie loquendo, est translatio libera juris in beneficium: quia habens facultatem conferendi beneficium, non tenetur conferre huic, vel illi; sed libere confert, cui vult, dummodo sit idoneus. Præsentatio e contra proprie pertinet ad patronum: hoc est, ad eum cui competit jus patronatus, sicque potest clericum idoneum præsentare episcopo ad beneficium vacans. Institutio tandem sequitur præsentationem patroni, mediante qua fit concessio beneficii clerico idoneo per patronum præsentato: et hæc proprie dicitur institutio. Glossa in *Rubric.* h. t., in 6. Abbas, c. *Auctoritate*. n. 7, h. t.; Barbosa, cit. part. III. allegat. 72. n. 172. et alii.

5, 6, 7 et 8. *Institutio est triplex: videlicet Institutio collativa seu verbalis, Institutio auctorizabilis, et Institutio corporalis, sive realis, quid?* — Resp. II. Institutio est triplex, videlicet collativa tituli beneficialis, auctorizabilis, atque corporalis. Ita Glossa in c. *Beneficium*, circa med. *de Reg. Jur.* in 6. ubi ait: « Dicendum, quod triplex est institutio. Quædam est institutio tituli collativa: alia est institutio auctorizabilis quoad commissionem curæ animarum: alia est institutio realis, et actualis, quæ vocatur investitura, seu inductio in possessionem realem, et cor-

poralem. » Hactenus Glossa. Id ipsum tenet Abbas, in c. *Auctoritate*, n. 7 et 8, h. t.; Joan. de Selva, *Tractatum* tom. XV. tract. *de Beneficio*, part. III. quæst. 1. n. 20; Fagnanus, c. *Cum Ecclesia*. n. 28, et seqq. *de Causa possessionis*; Petrus de Murga, tract. *de Beneficiis*. quæst. 3. n. 80. et seqq. et communis. Accedit ratio, quia ad omnem institutionem canonicam in beneficio, saltem curato, requiritur, ut beneficiario instituendo conferatur a legitimo superiore titulus beneficii, item cura animarum, nec non actualis possessio illius beneficii: unde merito juxta hosce tres actus, Institutio ut sic dividitur in tres species, videlicet in collativam, auctorizabilem, atque realem. Et quidem

Institutio collativa (quam nonnulli verbalem appellant) est ea, per quam titulus beneficii clerico promovendo confertur. Prout fit tum per electionem canonicam secuta confirmatione superioris, aliisque hujusmodi modis providendi cuipiam de beneficio ecclesiastico, qui pertinent ad institutionem late sumptam: tum præcipue per institutionem proprie ac specialiter acceptam, qua legitimus superior, puta episcopus, aut ipsius vicarius generalis, præsentatum a patrono, et per examen habilem repertum, instituit in beneficio; hoc est, verbis, aut litteris, confert ipsi titulum beneficii. Et de hac institutione frequens fit mentio in jure, ac præsertim in præsentem titulo: eaque omnibus ad beneficium ecclesiasticum promovendis adeo est necessaria, ut si propria auctoritate, vel saltem absque auctoritate legitimi superioris valentis conferre beneficium, istud occupent, censeantur intrusi; prout uberius dictum est supra tit. V. *De Præbendis*. § 17. n. 513. et seqq.

Institutio auctorizabilis aliud non est, quam approbatio ad exercendam curam animarum: sive, commissio curæ animarum, ut inquit Glossa superius n. 5. relata. Et de hac Institutione auctorizabili, præter doctores passim, mentionem facit summarius, in c. *Cum satis*. 4. *de Offic. archidiacon.* illis verbis: Archidiaconus sine mandato episcopi non committit curam animarum; id est, non habet institutionem auctorizabilem: » intellige activam, seu ut eam de jure aliis committere valeat. Alioquin enim institutio auctorizabilis, sive jurisdictio concessa ad curam animarum exercendam, est omnibus curatis necessaria, atque in parochialibus beneficiis omnem aliam institutionem præce-

dere solet : hoc ipso, quod sine tali jurisdictione curam animarum nemo exercere valeat; sicque quilibet ante quamvis aliam institutionem per præviam examen judicari, et approbari debeat, veluti sufficiens pro exercenda cura animarum.

Tandem institutio corporalis, sive realis, aliud non est, quam inductio in actualem possessionem beneficii : per quam videlicet datur vera, et realis possessio ipsius beneficii, per legitimum superiorem cuiusdam colati. Et de hac fit mentio in c. *Ad hæc de Offic. archidiacon.* ibi : « Institutio corporalis, tam super beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipsum (Archidiaconum) debeat pertinere. »

9. *Institutio corporalis alio nomine dicitur Investitura, Installatio.* — Porro Institutio corporalis alio nomine dicitur « Investitura, installatio, missio in actualem possessionem. » Neque enim quoad titulum institutus in beneficio, possessionem ejus propria auctoritate sine licentia, seu introductione superioris, apprehendere debet : alias pœna saltem arbitraria ab episcopo puniendus est. Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. XVI. n. 8. vers. *Quod si juris*, citans alios ; et sequitur Engel, h. t. n. 4. atque ex professo dicitur infra § 2. n. 52. et seqq.

10. *Institutio canonica, quæ?* — Quæritur II. Quæ requirantur ad institutionem canonicam? Resp. I. Institutio canonica est, quæ fit sine vitio conferentis, recipientis, et formæ. Ita Joan. Andreas, c. *Constitutus*, n. 2. et Fagnanus, ibid. n. 40. *de Filiis presbyt.* cum aliis. Ac sensus datæ definitionis est, quod ad institutionem canonicam requiratur, ut et conferens habeat potestatem conferendi, et recipiens non sit inhabilis ad beneficium, simulque servantur solemnitates a jure præscriptæ.

11. *Quæ ad hanc requirantur?* — Infertur proinde, quod generatim loquendo ad quamlibet institutionem, etiam late sumptam, ac prout sub se comprehendit quoque electionem, postulationem, renuntiationem ex causa permutationis beneficiorum, aliosque providendi modos de beneficiis ecclesiasticis, semper requirantur isthæc tria: videlicet potestas in conferente, eligente, postulante, etc. habilis in recipiente, puta, in electo, postulato, etc. ac debita forma a jure communi, vel consuetudine, aut peculiari locorum statuto præscripta : alioquin enim ex defectu unius horum, jam non foret amplius Insti-

tutio canonica. Verum, quia de istis sub propriis titulis (nimirum lib. I. tit. V. *De Postulatione Prælatorum.* et tit. IX. *De Renuntiatione*, ac præsertim lib. I. tit. VI. *De Electione.* § 7. et 9. et tit. XIV. *De Ætate et qualitate, et ordine præficiendorum.* n. 2. et 3. ac seqq. ex professo jam actum fuit : hinc eisdem suppositis, impræsentiarum solummodo tractatur de institutione proprie dicta, declarando ea, quæ ipsam specialiter concernunt. Unde

12. *Præsentatus a patrono, an necessario sit instituendus? Institutio clerici non presentati, non est ipso jure irrita, sed irritanda ad instantiam patroni.* — Quæritur III. Utrum præsentatus a patrono sit necessario instituendus in beneficio? Resp. I. Institutio proprie accepta, præter alia singulariter requirit, ut beneficium ecclesiasticum vacans non nisi clerico per patronum præsentato, cæteroque tamen idoneo, conferri possit, ac debeat : et si secus attentetur, institutio alterius in eodem beneficio facta, ad instantiam patroni annullanda sit, et postmodum clericus contra præsentationem patroni institutus debeat amoveri. Ita habetur c. *Ex insinuatione*, 14. *de Jurepatronat.* et can. *Decernimus*, 16. q. 7. Quanquam hujusmodi institutio clerici non præsentati, non sit ipso jure nulla et irrita, sed solum irritanda ad instantiam patroni contradicentis, atque alium præsentantis. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72. n. 170; Nicol. Garcias, part. V. *de Benefic.* cap. IX. n. 232, citans plurimos alios. Verum de hoc plura inferius tit. XXXVIII. *De Jurepatronatus*, declarando jura patronis competentia, ubi etiam nonnullæ limitationes datæ conclusionis afferuntur.

13. *Præsentati a patronis, alique instituendi in beneficiis, regulariter antea debent examinari.* — Quæritur IV. An præsentati a patronis, alique instituendi in beneficiis, antea debeant examinari? Resp. I. Præsentati a patronis, alique promovendi, regulariter admitti non debent, neque instituti in beneficiis, nisi prius ab ordinariis locorum fuerint examinati, et idonei reperti. Ita communis ; atque desumitur ex cap. I. h. t. in 6. ubi declaratur, quod capitulum Sede vacante « Præsentatos a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati. » Ubi ponderando ly, « Si sint idonei salis indicatur necessitas præmittendi examinis, utpote sine quo constare nequit capitulo, sive constituto

§ I. DE DIVISIONE INSTITUTIONIS UT SIC, EJUSQUE REQUISITIS,

ejus vicario capitulari, de idoneitate præsentati.

14. *Verbum admittere, et instituere in beneficio differunt; et quomodo?* — Solum pro meliori intelligentia relati textus notandum est cum Glossa in *Cosu.* ibid. quod *Admittere* et *Instituere* in beneficio, differant. Nam, ut inquit Joan. Monachus, et Joan. Andreas, in cit. cap. I. n. 1. h. t. in 6, verbum *Admittere* est exponendum, pro *Confirmare, et approbare*, dando videlicet titulum in beneficio : *Instituere* vero, id est, in possessionem mittere, inducendo nempe præsentatum in corporalem beneficii possessionem.

15. *Refertur decretum concilii Tridentini, sess. 7. cap. XIII, de Reform. circa examen promovendorum.* — Conclusio proxime data etiam habetur decisa, et quidem clarius, in concilio Tridentino sess. 7, cap. XIII, *de Reform.* illis notabilibus verbis : « Præsentati, seu electi, vel nominati a quibuscunque ecclesiasticis personis, etiam Sedis apostolicæ nuntiis, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituuntur, nec confirmantur, neque admittantur etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati, et idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab universitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis. » Hæc ibi.

16. *Istud requiritur etiam in presentatis per patronos laicos; et quidem a fortiori.* — Porro, per illa verba, « Præsentati a quibuscunque ecclesiasticis personis, » relatum concilium non excludit, neque ab examine subeundo eximit præsentatos a laicis ; tum quia jure communi jam tenentur quilibet instituendi in beneficiis subire prævium examen, de idoneitate sua, cit. cap. I. h. t. in 6. atque etiam quoad præsentatos a patronis, indistincte tradit concilium Tridentinum, sess. 25, cap. IX. vers. *Ad hæc, de Reform.*; tum quia quoad præsentatos a laicis, utpote minus valentibus dijudicare idoneitatem in clericis beneficiandis requisitam, majus periculum latet, quam circa præsentatos a personis ecclesiasticis, præsertim Sedis apostolicæ nuntiis : unde cum concilium circa istos requiratur prævium examen, censetur supponere, istud a fortiori esse necessarium in præsentatis per Laicos. Pirhing, h. t. n. 3. ibi : « Multo magis ergo a laicis. »

17. *Simulque in presentatis ad quæcunque beneficia, etiam simplicia.* — Et dum cit. sess. 7. cap. XIII, sæpe dictum concilium addit ly, « ad quævis ecclesiastica beneficia, » etc. clare exprimit, quod præsentati ad beneficia etiam simplicia, absque prævio examine ordinarii loci, institui non possint ab illis, ad quos institutio spectat. Garcias, part. IX. *de Beneficiis*, cap. IV. n. 5 et n. 19, vers. *Secundo queritur.* Ubi quoad propositum etiam adducit declarationem sacræ congregationis sic loquentem : « Congregatio concilii respondit : Si de simplicibus beneficiis agatur, præsentatos absque prævio examine episcopi institui non posse, juxta cap. XIII. sess. 7. Si autem de Parochialibus, servandam esse formam. cap. XVIII. sess. 24. »

18. *Limitatur istud in presentatis ab aliqua universitate ad beneficium simplex.* — Resp. II. Etsi proxime data conclusio procedat regulariter, dantur nihilominus aliqui casus, in quibus ipsa fallit, estque limitanda saltem respectu instituendorum in beneficiis simplicibus absque prævio examine. Patet hoc inductione. Sic quippe imprimis præsentati ab aliqua universitate, seu collegio generalium studiorum ad beneficium simplex, excipiuntur a novo examine subeundo : juxta textum expressum in cit. concilio Tridentino, sess. 7. cap. XIII. *de Reform.* ibi : « Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab universitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis. » Hinc tamen Papa, quando pro graduato scribit ad beneficium simplex promovendo nunquam de idoneitate impetrantis inquiri mandat, nec examinari : cum sit ab universitate approbatus. Rebuffus in *Praxi Benefic.* tit. *de Rescripto in forma pauperum pro graduatis.* n. 3. et 4.

19. *Secus quando graduati petunt provideri de Ecclesia parochiali tales enim debent examinari.* — Atque hoc procedit loquendo de beneficiis simplicibus : secus dicendum, quando graduati petunt provideri de aliqua Ecclesia parochiali. Tunc enim etiam doctores, aut licentiatos in theologia, vel jure canonico, et in publica universitate graduatos, non excusari ab examine, resolvit Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 60. n. 86. citans plures alios, atque ita a sacra congregatione concilii decisum fuisse, refert Garcias, part. IX. *de Benefic.* cap. II. n. 103. et Gonzalez. ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 4. n. 90. et 91. illis verbis : « Doctor, sive licentiatos in theologia, sive in jure canonico, et in pu-

blica universitate graduatus, non excusatur ab examine, quando petit provideri de aliqua Ecclesia parochiali.

20. *Excipiuntur etiam a novo examine presentati ad beneficium simplex qui post prævium examen admissi sunt ad ordines sacros. Aut qui notorie sunt litterati.* — Excipiuntur quoque a novo examine sustinendo presentati ad beneficium simplex, qui post prævium examen admissi fuerunt ad sacros ordines. Siquidem episcopus « ad obtinendum beneficium ecclesiasticum (saltem simplex) debet idoneos reputare, quos ad ordines suscipit, » juxta textum notabilem in c. *Accipimus*. 13. de *Ætate et qualitat.* atque cum aliis notat Gonzalez cit. Gloss. 4. n. 84. Ubi is hoc ipsum n. 86. ampliat ad eos, qui sunt notorie litterati, et habiles ad beneficium simplex, arg. can. *Nullus ordinetur*. dist. 24. juncta Glossa un. ibid.

21. *Examen requiritur pro forma solum in parochialibus, non vero in simplicibus beneficiis.* — Addit Barbosa cit. allegat. 60. n. 87. quod quamvis ex concilio Tridentino sess. 7. cap. XIII. de *Reform.* necessarium sit examen in omnibus beneficiis; pro forma tamen illud in solis parochialibus requiri, receptissimum sit scribentium resolutio. In aliis vero simplicibus cum residentia, vel sine residentia, non requiritur examen de necessitate, nec fit; si provisus sit persona insignis, et notorie idonea: et ita vidi servari etc. Ita Barbosa loc. cit. n. 87. (ADNOTATIO III.)

§ II.

DE ILLIS, QUIBUS COMPETIT INSTITUTIO COLLATIVA, AUCTORIZABILIS ET CORPORALIS BENEFICIORUM.

22. *Institutio collativa, de jure communi pertinet ad episcopi loci, in quo situm est beneficium.* — Queritur I. Quibus competat institutio collativa beneficii? Resp. II. Institutio collativa, seu potestas quoad titulum instituendi in beneficiis presentatos a patronis, et per examen idoneos repertos, de jure communi pertinet ad episcopum loci, in quo situm est beneficium. Ita communis; ac signanter Abbas, c. *Cum Ecclesia Vulterrana*. n. 8. vers. *Tertio de Election.*; Fagnanus, c. *Eam te*. n. 6. de *Ætate et qualitat.* et c. *Auditis*. n. 2. de *Præscription.*; Barbosa, part. III. de *Offic. et potestat. episcop.*, allegat. 72. n. 175. et 176, citans Rotam decis. 85. n. 1.

part. II. *Recent.* et alios. Idque patet ex can. *Omnes basilicæ* 16. q. 7. ubi generaliter dicitur, quod omnes basilicæ, secundum priorum canonum regulam in « ejus episcopi potestate consistent, in cuius territorio posita sunt » Id ipsum clarius habetur expressum in c. *Ex frequentibus*. 3. h. t. ubi proinde summarium breviter sic loquitur: « Institutio beneficiorum spectat ad episcopos, vel eorum officiales. » Concordat, c. *Cum ex injuncto*. 12. § fin. de *Hæretic.* cum similibus.

23. *Habetque episcopus super hoc fundatam intentionem.* — Atque ideo episcopus super hoc habet intentionem suam in jure fundatam: uti conformiter juribus præallegatis, notat Abbas in c. *Cum venissent*. n. 2. et Barbosa, ibid. n. 2. h. t. istud intelligens nedum de institutione collativa, sed etiam de auctorizabili: et idem Barbosa, cit. allegat. 72. n. 175. et 176; Fagnanus, ubi supra, n. 6. post Rotam apud card. Seraphinum, decis. 776. n. 9. unde si lis inter episcopum, et alium prælatum inferiorem super jure instituendi in beneficio oriatur, onus probandi pertinet ad inferiorem, eo quod episcopus fundet intentionem in cit. can. *Omnes basilicæ*. 16. q. 7. et c. *Ex frequentibus*, 3. h. t. Atque in simili decisum habetur cap. II. de *Restitut. spoliat.* in 6. junctis dictis supra lib. II. tit. XIX. de *Probationibus*. § 5. n. 126. et 127.

24. *Etiam vicarius generalis, et capitulum sede vacante, possunt instituere in beneficiis presentatos a patronis.* — Resp. II. Etiam vicarius generalis episcopi virtute mandati generalis, sicut et capitulum Sede episcopali vacante, potest instituere in beneficiis presentatos a Patronis. Ita quoad priorem partem Glossa c. *Et frequentibus*. §. *Officialium*. et Abbas, ibid. n. 7. et Barbosa, n. 3. h. t.; Garcias, part. V. de *Beneficiis*: cap. VIII, n. 84 et 86, citans alios: junctis dictis supra tit. V. de *Præbend.* § 7. n. 190. et n. 197. et 198. ubi etiam declaratur di-paritas inter potestatem instituendi in beneficiis presentatos, et inter collationem liberam beneficii. Posterior vero pars, loquens de capitulo Sede vacante habetur in terminis decis. cap. un. h. t. in 6. illis verbis « Etsi capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit: presentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint presentati; licet ad episco-

§ I. DE ILLIS, QUIBUS COMPETIT INSTITUTIO COLLATIVA, ETC.

pum (si superasset) admissio, et institutio hujusmodi pertineret. » Hæc ibi.

25. *Prælati inferioribus potestas instituendi presentatos in beneficiis, de jure communi non competit.* — Resp. III. Prælati inferioribus potestas instituendi in beneficiis presentatos, de jure communi non competit: quamvis hæc ipsis ex jure speciali (potest, ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitime completa) competere valeat. Ita Azorius, part. II. l. VI. cap. XXII. quæst. 2, asserens, quod præfata potestatem habeant episcopi jure communi; reliqui vero non nisi jure speciali, Barbosa, part. III. de *Offic. et potestat. episc.* allegat. 72. n. 176 et 184; Pirhing, h. t., n. 6. et alii. Prima pars patet ex cit. can. *Omnes basilicæ*. 16. q. 7. et c. *Ex frequentibus*, 3. h. t. Unde episcopum habere intentionem fundatam in jure super institutione beneficiorum in beneficiis suæ diocesis, pro- jam dictum est.

26. *Solvitur instantia, concedendo, in casibus competere ex jure speciali.* — Nec minus c. *Super eo*. 15. de *Offic. delegat.* ubi dicitur: « Si archipresbyter, vel archidiaconus, vel episcopus, ad quem institutio pertinet, appellaverit: » ac proinde sequi videtur non solum episcopo, verum etiam archipresbytero, et archidiacono, de jure communi competere institutionem in beneficiis. Resp. enim cum Glossa ibid. §. *Archidiaconus*; Azorio, ubi supra, et aliis, negando sequelam. Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum est, quod episcopo competat facultas instituendi in beneficiis de jure communi; archipresbytero autem, vel archidiacono, non nisi jure speciali: videlicet, quando eis specialiter concessum est, instituere in beneficiis; ut c. *Cum satis*. 4. de *Offic. archidiacon.* Vel, cum alias hoc obtinent de consuetudine, arg. c. *Dilecto*. 40. eod. Vel alio tali legitimo modo, c. *Cum venissent*. 6. h. t. ubi etiam archidiaconus, qui possidebat jus instituendi, pendente lite cum diocesano super ejus proprietate, defenditur in possessione; uti liquet ex textu ibid. §. *Nos igitur*. juncto summario, et doctoribus.

27. *Videlicet ex privilegio.* — Altera pars datæ conclusionis desumitur imprimis ex cit. c. *Super eo*. 15. de *Offic. delegat.* junctis proxime dictis. Eadem pars, in quantum loquitur de privilegio, seu speciali concessione, præter jura n. præced. allegata: patet ex c. *Ex frequentibus*. 3. h. t. juncta

Glossa §. *Officialium*. et c. *Cum satis*. 4. de *Offic. Archidiacon.* ibi: « Sine licentia et mandato episcopi: » cum similibus.

28. *Atque ex fundatione, saltem ab antiquo facta.* — Præterea, quod ex fundatione, saltem ab antiquo facta, possit aliis præter episcopum personis Ecclesiasticis, vel capitalibus, aut monasteriis acquiri jus instituendi, quando nimirum in limine fundationis, ac de consensu episcopi, apposita fuit qualitas illa seu conditio, ut institutio in ejusmodi beneficio pertineat ad inferiorem: tradit Abbas, c. *Cum dilectus*. n. 4. de *Consuetud.*; Barbosa, l. III. *Jur. Ecclesiast. univ.*, cap. XII, n. 28, Pirhing, h. t., n. 6, et alii junctis dictis supra fit. V. de *Præbend.* § 4, n. 5 et seqq.

29. *Qualis tamen post concilium Tridentinum amplius fieri non potest.* — Admittere constanter, « ex fundatione saltem ab antiquo facta. » Nam de facto nova talis fundatio amplius locum non habet: eo quod concilium Tridentinum sess. IV. cap. xxi. de *Reform.* provide decreverit, ut de cetero non amplius, aut dotationis, hujusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur. In talibus caetera congregatio, ejusdem concilii inde præsertim, consultata, an in juribus patronatus, qui post concilium acquiruntur, reservari possit institutio alteri quam episcopo? Responsum non posse in Ecclesiis etiam exemptis, nisi in illius ordinaria fangeretur jurisdictione: prout refert Fagnanus c. *Cum Ecclesia Vulterrana*. 31. de *Election.*

30. *Item ex consuetudine.* — Quia autem consuetudine possit cuiquam inferiori, patre, abbati, præposito vel archidiacono, competere institutio collativa in beneficiis: tenet Glossa in c. *Super eo*. §. *Archidiaconus*. de *Offic. delegat.* istud probans ex c. *Dilecto*. 10. de *Offic. archidiacon.* et c. *Ad hæc*. 2. de *Excessib. prælat.* Idipsum tradit Abbas, c. *Cum satis*. §. *Nota hanc causam de Offic. Archidiacon.* hoc ipsum probans ex c. *Cum venissent*. 6. h. t. et c. *Referente*. 7. juncta Glossa §. *Assignavit*. de *Præbend.*; Fagnanus, c. *Eam te*. n. 7. de *Ætate et qualitat.* citans Seraphicum decis. 306. n. 9; Barbosa, cit. allegat. 72. n. 184. allegans alios.

31. *Atque præscriptione: et an nec debeat esse immemorialis?* — Hoc ipsum esse dicendum de præscriptione (scilicet immemoriali) notat Barbosa, d. allegat. 72. n. 184. citans Mariam Antonium *Var. Resolut.* lib. I.